

VICARIATUS URBIS TRIBUNAL APPELLATIONIS

NORENANA

Coram R. P. D. SEVERINO ALVAREZ-MENÉNDEZ, Ponente

NULLITATIS MATRIMONII

Rubio - Sella

Sententia

(*omissis*)

I. FACTISPECIES

1. Eodem in loco cum commorarentur, in Carolina, scilicet, civitate, partes in causa notae ad invicem evaserunt scholastico anno 1948-1949 decurrente, quando actrix superioribus studiis lycealibus vacabat. Post longas, neque attamen pacificas, praematrimoniales relationes, die 1 octobris mensis 1952 in Pontificia Publiana Basilica christianas nuptias contrahebant (et cfr. p. 9; 72; 80; 88), practice vero nonnisi per quindecim circiter dies, quoad communem convictum, duraturas (et cfr. p. 36; 50; 64; 77). Prius etenim *de facto*, coniugibus e nuptiali itinere vix regressis; postea autem, mense, scilicet, ianuarii 1953, *etiam consensuali separatione* (et cfr. p. 57 et 65), instituta coniugalis conviventia subversa fuit et absque ulla spe illam iterum reassumendi.

2. Exinde quod die 3 aprilis mensis 1956 actrix Tribunal C. adibat, apposito libello hasce nuptias de nullitate arguens, et, quidem, tum ob defectum consensus, ad normam canonis 1081, § 1, tum —quatenus negative ad primum, atque consequenter subordinate— ob vim metumve ipsi incussa ad normam can. 1087, § 1. Quo supplicii libello (quibusdam processualibus difficultatibus superatis) tandem admissis, Tribunal C., processu rite emenso, concordatum dubium die 6 mensis iunii 1958 *affirmative* dimittebat, edicens, nempe, constare in casu de matrimonii nullitate in casu ex capite defectus discretionis in muliere. Contra quam affirmativam sententiam cl. mus Vinculi Defensor die 3 novembris 1958 appellationem ad H. N. O. interponebat. Eadem